

1552

torum est experta. Mibi cum amicis, ac clientibus in Neapolitanum regnum proficisci cuncta ex voto eventura, ingentesque tumultus, ac mutationes suborituras optima quidem ratione polliceri possum. Quod vero extremum ad sumptus belli attinet, classe tantum, qua imperium vestrum tuemini, opus est, ut quæ modo vires amplitudinem, incolumitatemque vestram parit, eadem ingentes vobis gloriæ fructus afferat. Quid igitur cunctatione opus est? cur oblatam tantarum rerum occasionem prætermittatis? Neque enim frustra Rempublicam vestram Deus immortalis e magnis fluctibus, ac periculis erexitam, his viribus auctam, hoc imperio subnixam servavit; sed ut ad Italie decus, ac libertatem retinendam, cuius parentes, ac custodes estis, uteremini. Quid igitur amplius vos moror? quo initio coepi, eodem finem dicendi faciam, ut ab Hispanorum se jugo vindicent, Neapolitanis adeo fixum, atque immotum est, ut nisi vestra egregia pietate, ac potentia opem poscentibus subveniatis, ad ea extrema, atque immania remedia venturi sint, quæ absque dolore, atque horrifico animi sensu excogitari nequeunt.

Senatus responsum. His atque aliis ejusmodi, ut Patrum animos in Neapolitanam expeditionem incenderet, dictis, cum statim proficisci in Galliam ad Henricum velle affirmaret, sibi responderi petuit. Itaque nonis maji in hanc sententiam Senatusconsulto responsum. Summo tum ob Neapolitanorum publicas calamitates, tum ob privatas illius molestias, quem uti filium Respublica semper complexa sit, dolore se affici: quod vero ad ea, quæ proponerentur, spectaret, quanti momenti sint, quam digna, ut exactius expenderentur, se optime nosse: dum gravissimis rebus decernitur, ad complura respiciendum esse, quæ quo majora sint, eo altiori indagine, ac disquisitione indigeant: itaque nil aliud tunc addere posse, nisi Senatum pro certo habere, quæ Principem Italum deceant, quæque reipublicæ christianæ conducant, ad Italiam servandam officia adhibiturum. Cum hoc responso in Galliam ad Regem Salernitanus proficiscitur.

*Mauritii
Saxonum
Principis
progressus.*

Mauritius vero Lincio, pace infecta, ad suos reversus, cum copiis recta adversus Cæsarem contendit; Eretbergam, Augustani Antistitis oppidum, capit; Clusam, in montium angustiis